



ANTE PRAEDI- CAMENTA SCOTI. QVÆSTIO I.

*An liber Prædicamentorum sit de decem vocibus decem primâ
genera rerum significantibus?*



QVÆRITVR;
vtrum liber prædi-
camentorum sit de
decem vocibus de-
cem prima genera-
rerum significanti-
bus? quod sic: quia
hoc dicit Boetius.

*In proba-
tio prima
aditionis
super ipse
dicamenta.*

Item, hic determinatur de vniuoco,
æquiuoco, & denominatiuo, quæ tan-
tum sunt differentia vocis significantis:
quia nulla res: nullus etiam conceptus
est æquiuocus: quia vbi dicitur concep-
tus, ibi est vniuocatio.

Item, hæc omnia diffiniuntur per, di-
cuntur.

Item, in prima diuisione dicitur: eo-
rum, quæ dicuntur. Similiter inferius di-
citur: quod singulum incomplexorum
aut significat substantiam, &c. Sed dici-
bile, incomplexum, significare, est pro-
prium vocis significantis: ergo illud est
subiectum. Et ita maxime decem voces
decem genera rerum significantes: quia
tantum hic de illis agitur.

Item, vel Logica est scientia realis;
vel sermocinalis: non realis, manifestum
est: ergo sermocinalis: igitur quælibet
eius pars est de voce significanti: & ita
ista pars eius, quæ est prima, est de voce
significantante conceptum simplicem; si-

cut liber Perihermenias est de voce sig-
nificantante conceptum compositum.

Ad oppositum: Logica est de secun-
dis intentionibus applicatis primis: er-
go de vocibus non est aliqua eius pars.

Item, illud, de quo hic agitur, est per
se pars subiecti considerati in libro Peri-
hermenias: & illud est pars eius, quod
consideratur in libro Priorum, quod est
syllogismus: sed illud omnes suas pro-
prias passiones habet sibi inharerens (vt
manifestum est) nulla voce existente,
nec possibili esse: igitur similiter enun-
tatio habet suas: ergo vtrumque illorum
est naturaliter prius voce significantiua,
& quod hic consideratur, est naturaliter
prius vtroque istorum: sicut pars inte-
gralis toto: ergo quod hic primo consi-
deratur, naturaliter est prius quacum-
que voce significantiua: ergo non est hic
subiectum vox significantiua: ergo, &c.

Item, nulla proprietas vocis significa-
tiua hic ostenditur de ea, nec in aliqua
parte Logica: ergo, &c.

Ad ista duo potest dici: quod esse ex
tribus terminis est passio syllogismi, vt
est in voce: sicut verum, vel falsum sig-
nificare, est passio enuntiationis: & sic
de cæteris passionibus huiusmodi.

Contra: aut syllogismus in mente est
syllogismus: & enuntiatio in mente est
enun-

enuntiatio: aut non: si sic: ergo habent
passiones syllogismi, & enuntiationis,
abique hoc quod proferantur. Si non:
ergo habens demonstrationem in men-
te non habet demonstrationem, nisi pro-
ferat: & ita non est sciens, nisi proferat,
quod manifeste est falsum.

Ad quæstionem dici potest: quod
ille liber non est de decem vocibus, vt
de primo subiecto: nec aliqua pars Lo-
gica est de voce: quia omnes passiones
syllogismi; & omnes partes eius, possunt
sibi inesse secundum esse, quod habent
in mente: etiam si non proferantur: vt in
ductiue patet: sed est de aliquo priore,
quod respectu vocis significantiua tantum
habet rationem significanti.

Ad auctoritatem Boetij dici potest:
quod intellexit passiuam per actiuam
sic: de decem vocibus, decem genera re-
rum significantibus: id est, de decem ge-
neribus per decem voces significantis: &
quomodo illud sit verum in solutione se-
quentis quæstionis dicitur.

Ad secundum potest dici: quod vni-
uocum, & denominatiuum, primo sunt
differentia prædicati, quod secundum
se inest conceptui: non primo voci sig-
nificantis. De æquiuoco autem determi-
nat propter oppositionem eius ad vni-
uocum: vel quia æquiuocum æquiuoca-
tum est conceptus: licet non æquiuo-
cum æquiuocans: vel quia est conceptus
in quantum significantur.

Ad tertium dico: quod ibi ponit, di-
cuntur; vt ostendat, se non assignare ve-
ras diffinitiones istorum æquiuocorum,
&c. quæ est per genus, & differentiam:
sed tantum per rationem experimentem,
quid dicitur per nomen.

Ad aliud dico: quod in secunda diui-
sione dicit Aristot. eorum, quæ sunt. Si-
cut igitur ex illa non sequitur; subiectum
huius libri esse aliquid reale, cui per se
conuenit esse: sic nec hic sequitur; sub-
iectum esse vocem, cui per se conuenit
dici. Ideo dico: dicuntur; id est concipi-
untur: & sunt; in secunda diuisione su-
mitur pro eodem, sunt secundum ratio-
nem.

Ad aliud de in complexo dico, quod
illud conuenit conceptui simplici; voci
vero significantiua ex consequenti: si er-
go subiectum hic sit incomplexum; ma-
gis stat; quod sit conceptus, quam vox.

Ad aliud de, significat; dico, quod si-

cut ad illud non sequitur, subiectum hu-
ius libri esse litteram: vt nec vult Boe-
tius: littera tamen inter quatuor, quæ nu-
merantur in principio Perihermenias,
est tantum signum, & non signatum: ita
nec sequitur; subiectum hic esse vocem;
ex hoc medio; significat; quia illud est ni-
hil commune medium: passio enim sig-
nificat rem tantum: vnde stat subiectum
hic esse conceptum.

Ad aliud dico, quod Logica non est
scientia realis, nec sermocinalis: quia
nec sermonem, nec sermonis passiones
considerat: nec suum subiectum sub ra-
tione sermonis: imo quod ista diuisio sit
insufficiens, sic ostenditur. Medium in-
ter rem, & sermonem, vel vocem, est
conceptus: ergo sicut est aliqua scientia
per se de rebus: aliqua per se de vocibus
significantibus, vt Grammatica, & hatori-
ca, quæ considerant passiones vocis; sci-
licet, congruum, & ornatum: ita potest
aliqua scientia esse per se de conceptu:
& hæc est Logica: vnde per se debet di-
ci scientia rationalis: non tantum quia
traditur per rationem: sicut qualibet al-
ia scientia; sed cum hoc est de concep-
tibus formatis ab actu rationis. Si ab ali-
quo dicatur, Logicam esse scientiam ser-
mocinalem: vt videretur ex interpretatio-
ne nominis: intelligendum est: quod mul-
tum conuenit cum sermone propter
duo: primo, quia conceptus est imme-
diatum significantum per vocem, de quo
conceptus est Logica: secundo quia pas-
siones conceptus insunt voci significa-
tiua: sicut incomplexum, & complexum:
significare verum, vel falsum; vt signo
per naturam significanti.

Ad aliud, quod tangitur responden-
do ad argumenta in contrarium facta de
tribus terminis, & significare verum, vel
falsum; potest dici, quod terminus, vel
est idem, quod vox significans concep-
tum simplicem: & tunc non est syllogis-
mus ex tribus terminis, nisi prolatus. Vel
verius; terminus significat idem, quod
conceptus simplex: quia transmutatur à
Geometria ad Logicam ad significantum
indivisibile in propositionibus; quod po-
test esse in mente: & tunc omnis syllo-
gismus prolatus, & non prolatus, est ex
tribus terminis. Similiter significare ve-
rum, vel falsum, conuenit enuntiationi;
sed nõ, vt est vox significans conceptum:
sed vt conceptus significat rem.

R s Item,

Item, hic in commento super principium huius dicit Boetius: quod voces significatiua vno modo considerantur, vt imponuntur ad significandum: secundo modo vt eis significatibus insunt proprietates causatae ab intellectu: primo modo considerantur in Logica: secundo modo in Grammatica. Secundum hoc igitur primum subiectum Logicae esset ponendum vocem significatiuam: & sic subiectum primum huius libri est vox significans conceptum simplicem: & maxime decem voces, decem rerum genera significantes: quia ad illas, omnes alia reducuntur.

Contra hoc: cognito vno correlatiuum diffinitive, necesse est cognoscere alterum; per Aristotel. in Prædicamentis cap. de relatione: ergo si Logicus considerat vocem; in quantum est significatiua rei; oportet eum diffinitive cognoscere rem: quod non videtur conueniens.

Item, omnis vox significatiua, in genere vocis significantis, est singularis: ergo nullius ad aliam est ordo: ergo non magis alia voces significatiua ad istas reducuntur, quam istae ad alias.

Ad primum istorum potest dici, quod vox non est primo signum rei; sed conceptus, quem oportet Logicum considerare; non vt primum subiectum; sed propter cognitionem primi subiecti.

Contra: conceptus est vterius signum rei: igitur adhuc sequitur: quod oportet rem cognosci.

Istud argumentum non est tantum contra Boetium: sed etiam contra dicentes Logicam esse de conceptibus.

Et ideo potest dici, quod non oportet propter vnus relatiui cognitionem alterum cognosci, quantum ad omnia, quae sunt in se: sed tantum quantum ad illa, quae insunt ei, in quantum refertur ad aliud: hoc autem modo non est inconueniens rem cognosci in Logica in quantum est significatum per conceptum.

Ad secundum dici potest: quod licet in genere vocis non sit aliquis ordo inter voces significatiuas: tamen in quantum significant conceptus, inter illas est ordo: sicut omnis propositio in genere propositionum est singularis: tamen alia est singularis, alia vniuersalis ratione conceptus significati, &c.

Summa textus: simul & explicatio.

PERACTA disputatione circa Porphyrianum opus; Isagogicum, seu introductorium in categorias Arist. (Isagogæ enim dicitur Græce ab Isos, quod est, intro; & à Gogos; quod est ductio; quasi introductio) per acta (inquam) disputatione circa Isagogas Porphyrij, aggreditur Subtilis Doctor disputationem circa Aristotelis Categorias, seu prædicamenta. Et quamvis statim conuertere cū alijs incipiat; nihilominus tacite supponit multa ab omnibus concessa, quæ à nobis explicite, nomine ipsius sunt tradenda. Vnde cū octo plerumque sint, quæ in præmio cuiuslibet operis interrogari soleant: Auctor: inscriptio: finis: utilitas: ordo: diuisio: & proportio cum alijs, & cum suo toto: de his nobis supponendum est cum Doctore nostro, quid certum, quidve incertum sit.

Supponimus igitur primo, Auctorem huius libri Aristotelem fuisse: vt stilus, grauitas, & orationis modus testantur.

Secundo pro inscriptione notandum: Prædicamentum Latine, Græce categoriam dici; à verbo categorizo; id est prædico, derivatam: & cum prædicatio sit non solum vnus prædicati superioris de indiuiduo; sed de omnibus prædicatis superioribus vsque ad genus supremum, seu generalissimum: ideo Prædicamentum pro generalissimo tantum: vel pro tota coordinatione prædicatorum essentialium, sumi potest: quare liber iste inscribitur de decem generibus, seu Prædicamentis; seu categorijs; seu diuersarum coordinationum prædicatorum essentialium à genere supremo vsque ad infimum indiuiduum tendentium.

Et cum in qualibet scientia totali duplex sit finis: alter intrinsecus, & immediatus; & est cognitio scientifica sui obiecti: alter extrinsecus, & mediat; & est illud, ad quod talis cognitio ordinatur: ita de qualibet scientia partiali est afferendum. Ex quo supponimus tertio, finem extrinsecum, ad quem hic liber ordinatur, esse cognitionem syllogismi: patet: nam quod est obiectum in tota Logica, est finis extrinsecus obiecti scientiæ partialis: sicut omne totum est finis suarum partium: sed syllogismus est obiectum in tota Logica: vt q. 3. super Porphyrium probauimus: ergo cognitio Prædicamentorum ad eius cognitionem tanquam ad suum finem extrinsecum ordinatur. Deseruiunt enim Prædicamenta secunde intentione litter sumpta ad fundandas demonstrationes, diffinitiones, ac diuisiones: quia cum demonstrationes ex propositionibus necessarijs fiat & istæ ex subiecto, & prædicato, consistunt: ideo opus est: vt prius sciat Logicus; an prædicatum sit de essentia subiecti: & cum diffinitio ex genere, & differentia, coalescat: quid sit genus; quidve differentia; præcognoscat: cumque omnia hæc tradat scientia Prædicamentorum: inde eius finis; & utilitas patet.

1. Suppositio.

2. Suppositio.

3. Suppositio.

Nota.

Ordo

Ordo etiam, & proportio clarescent: dum notauerimus, tria ex parte rerum reperiri, quæ nobis earum perfectam cognitionem acriter impediunt: videlicet, multitudinem, & quasi infinitatem, quæ nobis impedit cognitionem modi, quo vna sub altera collocatur: commixtionem rerum inter se: & hæc à nobis facilem earum distinctionem expellit: tandem viam, & modum, quo vna sub altera contineatur: & his tribus Aristoteles in hoc libro remedium præbet, impedimentum primum per omnium rerum collectionem in decem genera auferens: secundum, per earum diuisionem, & distinctionem, docens ad quod genus quodlibet ens pertineat, & reducatur: tertium tandem tradens nobis methodum, qua vnunquodque ens cognoscere possumus. Vnde cum ordo, & proportio, huius libri attendatur penes partes Logicae inter se, & ad ipsum totum; vel penes res ipsas, quas considerat: de primo certum est hunc librum primum obtinere locum inter alios: sicut omne simplex est quolibet composito: prius: & certum est etiam proportionari cum tota Logica; sicut parte cum suo toto: ac denique certum est ordinem, quem in his tradendis generibus Aristoteles obseruauit; esse rectum, & optime assignatum.

4. Suppositio.

Vlt. suppositio.

Vltimo tandem ab omnibus supponitur hunc librum in tres partes rescari: in Anteprædicamenta: in Prædicamenta: & Postprædicamenta: circa primam mouet Doctor decem quæstiones, quarum tres priores ad subiectum adæquatam huius libri spectant.

In quarum prima quærit; an liber iste sit de decem vocibus decem rerum genera significantibus: Patet affirmantem, quam sustinent Alexander, Simplicius, & Villalpandus, probat Doctor auctoritate Boetij habita ibi: item hic in commento super principium huius dicit Boetius: vbi vult vocem significatiuam esse subiectum primum huius libri: probat eam etiam quinque rationibus, quæ in littera patent: sed illis non obstantibus concludit dicens.

Conclusio Doctoris.

Liber iste non est de decem vocibus; vt de primo, & ad quatuor obiecto: sed de aliquo priore, quod respectu vocis significatiua tantum habet rationem significati: diciturque conceptus rationis.

Primam partem probat argumentis ad oppositum: primo, nam Logica est de secundis intentionibus applicatis primis: ergo de vocibus non est aliqua eius pars: consequentia patet: quia secunda intentiones vocibus, vt vocibus, applicatae, non dicuntur primis intentionibus applicati. Antecedens ab omnibus cum Boetio recipitur: & constat: quia consideratio Logicalis non est præcisè de secundis intentionibus quidditatiue sumptis; quia, vt sic, ad Metaphysicum pertinet: nec de primis intentionibus: quia tunc Logica esset scientia mere realis: ergo sequitur, quod Logicus agit de secundis intentionibus applicatis primis: id est in concreto, & supponetibus pro primis: ideo enim in primis semper verificatur. Itaque Logica consideratio est de secundis intentionibus, vt sunt respectus terminati ad primas, & modi eas intelligendi: quare sine primis

intelligi non possunt: nec talis consideratio de vocibus, vt de obiecto per se, esse valet.

Secundo, obiectum huius libri, est pars enuntiationis, quæ est obiectum libri Perihermi. sed nulla voce existente, datur in mente vera enuntiatione: ergo, & obiectum huius libri dabitur sine voce: ergo, &c.

Tertio, nulla proprietas vocis significatiua ostenditur hic de ea; nec in tota Logica: ergo vox significatiua nec hic; nec in aliqua parte Logicae est obiectum. Antecedens patet: nam hic non ostenditur: an substantia significet aliquid extra se; vel aequaliter: & huiusmodi: sed ostenditur, quid sit conceptus applicabilis rei illi, quæ à parte rei substantia est, & ab intellectu apprehenditur.

Nota.

Secunda pars, licet expresse à Doctore non probetur; ex solutione tamen argumentorum facile probari potest: dum modo ex suis Theorematis supponamus: quod conceptus æquiuoce dicitur; sumitur enim pro specie impressa, vel expressa: vt habetur primo Perihermi, in principio: scilicet, voces sunt notæ passionum, &c. vel pro concipiente: licet improprie: vel pro obiecto concepti: siue motiue, siue terminatiue; vel pro respectu rationis ab intellectu causato, ac derelicto; eo modo, quo super Porphyrium, quæst. 2. vniuers. Art. 2. diximus: & de respectu rationis; hoc vltimo modo dicto, intelligitur hæc secunda pars conclusionis: quando asserit, significatum vocis, de qua Logicus agit, esse conceptum: sicut enim prima intentio obiectiua habet terminos, seu voces primæ intentionis, per quas significetur, vt hominis differentia, & proprietas per rationale, & risibile: & sic secunda intentio habet suos terminos, & voces: videlicet, Genus: Species: Differentia: Proprium: Accidens: Superius: Inferius: Prædicatum: Subiectum: Indiuiduum: Complexum: & Incomplexum: & sic de alijs: & de hoc conceptu à ratione fabricato; seu secunda intentione Logica intelligitur Doctor, & conclusio: & patet: nam ex prima parte conclusionis Logicus non agit de vocibus: ergo de significato per vocem: sed tale est secunda intentio; seu conceptus rationis: ergo de hoc agitur in hoc libro.

Denique soluit argumenta: ad primum, quod quando Boetius ait: hunc librum esse de decem vocibus, &c. intelligit passiuam per actiuam: vt fit sensus: de decem generibus per decem voces significatis: seu potius, de decem intentionibus rebus applicabilibus, per decem voces, significatis.

Ad secundum, quod probat hic determinari de vniuoco, denominatiuo, & æquiuoco: respondet vniuocum, & denominatiuum, esse differentias prædicati, quod per se primo conuenit conceptibus rationis, seu secundis intentionibus; vocibus autem conuenit prædicari instrumentaliter, & tanquam signis conceptuum rationis: prædicari enim quadrupliciter sumitur: vel passiuè, & fundamentaliter; & sic conuenit rebus: vel actiuè, prout dicitur causa prædicationis; & conuenit intellectui: vel formaliter, & conuenit intentionibus: vel instrumentaliter; & hoc modo

conuenit.

conuenit uocibus: sed ex hoc non sequitur, quod Logicus per se primo de uocibus agat. De æquiuoco uero hic determinat: quia opponitur uniuoco: uel quia æquiuocum æquiuocatum est conceptus; saltem quo ad significari.

Ad tertium, & quartum de ly, dicuntur; & de ly: sunt; dicit, quod, dicuntur, sumitur pro cōcipiuntur: & sunt, pro esse secundum rationem.

Ad quintum, & sextum patet ex solutione ad secundum, nam esse incomplexum, & significare formaliter, conueniunt conceptibus.

Ad ultimum inquit, quod Logica agit per se de conceptibus rationis. Reliqua patent: & ex dicendis magis patebunt.

QVÆST. II.

Utrum iste liber sit de decem Prædicamentis, ut de subiecto?



VERITUR: utrum iste liber sit de decem Prædicamentis; ut de subiecto? Quod nō uidetur: quia scire est rem per causam cognoscere, per Arist.

Text. 5.

primo Postter. ergo omne scibile habet causam: sed ista decem non habent causam: ergo de eis non est scientia. Probatio minoris: quia causa naturaliter prius est illo, cuius est causa: sed istis nihil naturaliter est prius: cum sint prima.

Item, unius scientiæ est unum subiectum: ista decem non sunt unum subiectum: quia nec unum diffinibile: cum ergo hæc scientia sit una; non erit de istis decem; ut de subiecto.

Text. com. 38.

Item, de istis est scientia realis: non ergo Logica. Consequentia patet, per Aristot. tertio de Anima: scientiæ secantur, ut res: sed Logica est diuersa ab omni scientia reali: ergo subiectum eius à subiecto cuiuslibet scientiæ realis est diuersum. Probatio antecedentis: tum quia

Text. com. 14. & inde

de istis determinat Metaphysicus: ut patet quinto, & septimo Metaphysic. tum quia ista sunt res primæ intentionis: probo: quia impossibile est, aliquid secundæ intentionis prædicari per se de re primæ intentionis: sed ista decem genera generalissima prædicantur per se de rebus primæ intentionis: est enim hæc uera

per se: homo est substantia: ergo ista sunt primæ intentiones: ergo omnis scientia de istis est scientia realis.

Ad oppositum est Aristotel. determinans hic de decem generalissimis. Intitulatur similiter liber Prædicamentorum.

Ad quæstionem dicitur, quod Prædicamenta dupliciter possunt considerari: uno modo in quantum sunt entia: alio modo in quantum considerantur à ratione, siue in quantum aliqua proprietas ab intellectu causata eis attribuitur: primo modo de eis considerat Metaphysicus: subiectum enim eius est ens, in quantum ens: secundo modo hic de eis consideratur: ostenduntur enim de eis passionibus sibi inhærentes; in quantum sunt generalissima: ut de Substantia uniuocè prædicari; & non esse in subiecto, & uideri hoc aliquid significare. Similiter de alijs generibus determinatur secundum talem rationem: quia in quantum talia; in suas diuiduntur species: & illæ ulterius in alias: & nihil est super ea, quod descendit in illa per diuisionem: patet enim istis, in quantum sunt generalissima, inesse has passionibus: scilicet, diuidi in species: & multas habere species subalternas: & non habere genus supraueniens: quare tales proprietates determinatur hic. Si uero de aliquibus alijs, quæ istis generalissimis in sunt, in quantum sunt entia, hic determinatur: hoc non est principale ad propositum: sed ad maiorem manifestationem istorum, quantum ad prædicta intentionalia. Sed cum ista decem non sint unum subiectum unius scientiæ realis, scilicet, Metaphysicæ: nisi in quantum est in istis unum primum, ad quod omnia alia attribuuntur: ut habetur quarto Metaphysic. sed in quantum à ratione considerantur: nullum est, ad quod attribuuntur: quomodo sunt unum subiectum? Et oportet dicere: quod maior est unitas eorum in aliqua proprietate ab intellectu causata, quam in quantum sunt entia: & ita cum hæc scientia non sit una unitate Analogiæ: oportet assignare aliquod intentionale, quod sit istis commune, & primum subiectum: quia de solo tali per se considerat Logicus. Illud autem à quibusdam ponitur ens incomplexum, dicibile, ordinabile, in genere. Omnibus concessis prius narratis in positione.

Text. com. 1. & inde.

Con-

Contra hoc ultimum potest argui sic: ens non conuenit uniuocè omni enti extra animam: ergo multo magis non est uniuocum enti extra animam, & entia consideratione intellectus causato: quia illa plus differunt: ergo uel hic accipitur ens pro ente extra animam; uel pro ente rationis: si primo modo sequentur duo inconuenientia: scilicet, quod subiectum, quod ponitur, non sit uniuocum decem Prædicamentis, quæ hic considerantur; cuius oppositum sustinere intendit. Secundum, quod subiectum hic sit ens per accidens: quia compositum ex re primæ intentionis, & re secundæ; quæ non faciunt unum per se. De ente autem per accidens non est scientia, per Aristotelem 6. Metaph. Si uero pro ente rationis; sequitur, quod est nugatio: quia alia addita includunt ens sic sumptum: & ita est nugatio.

Text. com.

4. & inde.

4. & inde.

Item, aut dicibile intelligitur pro significabili per sermonem: & ostensum est in solutione quætionis præcedentis illud accidere subiecto huius libri: aut dicibile sumitur pro prædicabili: & tunc addendo incomplexum, fit nugatio: & iterum fit nugatio addendo ordinabile in genere. Probatio primi: quia propositum non prædicatur: nec aliquid complexum, in quantum complexum. Probatio secundi: prædicabile includit ordinabile in genere; uel e conuerso: quia ex hoc quod aliquid est prædicabile: ut hic Aristot. loquitur; ordinatur ad aliud secundum sub, uel supra.

Ad hoc ultimum dicitur, quod individua in genere sunt ordinabilia; non tamen prædicabilia: & generalissima dicuntur prædicabilia; non tamen in genere ordinabilia: idè neutrum istorum reliquum includit.

Contra: tunc ens ordinabile, &c. non conuenit generalissimis, de quibus tamen maxime hic agitur: ergo illud non est subiectum. Si ponitur pro subiecto tantum ens incomplexum; uel tantum ens dicibile; uel tantum ens in genere ordinabile?

Contra quodlibet est prima rationum factarum contra priorem positionem; & contra primam positionem simul, & contra omnes istas tres: quia quicquid istorum ponatur subiectum, illud excedit omnia decem Prædicamenta: quod uidetur inconueniens. Si etiam ponatur tan-

tum prædicabile; illud, idem est, quod uniuersale: ergo idem est subiectum huius libri, & Porphyrii: quod est inconueniens, & excedit decem Prædicamenta.

Ideo dici potest: quod hic consideratur de decem Prædicamentis: in quantum aliquid à ratione causatum eis attribuitur: quia aliter non possunt à Logico considerari: & illo modo non habent tantum unitatem Analogiæ; sed etiam uniuocationis: & illud uniuocum istis illo modo est aliquid intentionale, quod est hic primum subiectum: & illud potest nominari Prædicamentum, uel generalissimum: quia omnes proprietates, quæ per se de istis determinantur hic, determinantur de eis, in quantum habent rationem generalissimam, uel Prædicamenti.

Contra: tunc determinaretur hic de substantia, quantitate, &c. tantum per accidens: quia tantummodo secundum quod aliquid inest eis per accidens: scilicet, secundum aliquod intentionale: quia nullum tale potest eis inesse per se.

Item, nulla passio est hic ostensa de Prædicamento, uel generalissimo, secundum suam rationem: ergo illud non est subiectum.

Item, subiectum hic non conuenit omni conceptui formato à primo actu rationis: sicut subiectum libri Perihermeneias conuenit omni conceptui formato à secundo actu rationis: quod uidetur inconueniens: quia similiter uidetur iste liber esse de conceptui simplici incomplexo, sicut ille de complexo.

Item, cum generalissimum, uel Prædicamentum, sub uniuersali contineatur; sequitur hanc scientiam libro Porphyrii subalternari: quia sicut subiectum ad subiectum: ita scientia ad scientiam: sed illud uidetur inconueniens.

Ad primum illorum dico: quod non est inconueniens, illa tantum per accidens à Logico considerari, quæ Metaphysicus per se considerat.

Ad secundum dico, quod in quantum aliquid intentionale uniuocum hic demonstratur de substantia, & quantitate, in quantum habent rationem generalissimorum: in tantum illud ostenditur de Prædicamento, siue generalissimo, primo: ut diuidi in species, non habere ge-

mus